

specierum constitutivas differentias : ex eo autem quod divisio est secundum artem debet esse bimebris, ut Boetius testatur. Hanc objectionem excidit S. Thomas dicens majorem esse universaliter imposibilem secundum Aristotelem sententiam in II libro de Animalibus.

Ad cujus evidentiam notandum, quod cum veræ differentia appellentur differentia positive non extraneæ contraria inter se convertibiles cum his quorum sunt differentia, ut ibi dicit Aristoteles cap. III; genus illud, quod plures duabus speciebus continet, immediate non potest dividi duabus veris differentiis; sed si veris differentiis dividendum erit, potestatem ejus evacuantibus, oportet quod dividatur pluribus duabus : et sic divisio non erit bimebris; si enim divisione bimebri partiendum erit, oportet alteram differentiam esse non veram : erit enim cum privatione accepta alterius. Sicut si animal immediate contineat hominem, bovem et leonem, oportet tribus veris differentiis dividi vel altera vera, puta rationali : altera non vera, sed privativa communi reliquis duabus, puta irrationali. Quia igitur inveniuntur aliquæ res in mundo plures duabus contentæ immediate sub aliquo communi formaliter divisibili, ideo dicitur, quod impossibile est universaliter, quod omnis divisio fiat per duas differentias veras : et hoc in proposito nostro accidit. Cum enim intelligentia careant genere subalterno, ut S. Thomas in tractatu de natura generis, cap. v, testatur, eo quod perfectio earum ex pluribus conjunctionibus differentiarum non consurgit, sicut perfectio specierum in istis inferioribus, quibus non sufficit genus commune et differentia, omnes immediate sub uno genere continebantur : et sic genus earum, si veris differentiis ad illas descendere debet, oportet multimembrem fieri divisionem nobis ignotam : quod si bipartita divisione contrahendum erit, alteram simpliciter necesse est esse non veram, quia privativam ; alteram propter debilitatem intellectus nostri ad nullam propriam earum differentiam descendere potentis, necesse quoque est esse non veram. Tales autem fuerunt differentia in littera assignata : scilicet magis perfectum et minus perfectum.

Ex his jam patet responsio ad objectionem, declarata impossibilitate majoris universaliter. Boetii vero dictum non obstat : quamvis enim dicat divisionem omnem ad bimebrem reduci, non tamen dicit, quod omnis bimebris fiat per differentias veras inferiorum per illam divisionem accipiendorum.

Tertio modo invenitur in substantiis compositis ex materia et forma, in quibus et esse est receptum et finitum propter quod et ab alio esse habent, et iterum natura vel quidditas earum recepta est in materia signata et ideo sunt finitæ et superius et inferius et in eis jam propter divisionem materiæ signatæ possibilis est multiplicatio individuum in una specie : et in his substantiis, qualiter se habeat essentia ad intentiones logicas supra dictum est.

In hac quarta et ultima parte hujus capituli quatuor colligit de essentia substantiarum compositarum. Primum est, quod esse earum est limitatum : quia habent illud ab alio utpote distinctum realiter a se : et per hoc primo distinguitur a primo ente cujus esse est infinitum, et idem realiter suæ quidditati.

Secundum est, quod essentia earum est recepta in materia signata :

sunt enim in hoc vel in illo ad hic et nunc determinatæ : sicut formale per suum materiale.

Tertium, quod ex istis duobus corollarie sequitur, est quod sunt finitæ superius et inferius. Superius quidem, quia habent esse limitatum, et essentia earum per ipsum esse, quod, ut superius respicit, terminatur. Inferius vero, quia recipiuntur earum formæ in materia, et ipsæ ad hoc et illud terminantur, quæ respiciunt ut inferius : per hoc quod in his et illis conditionibus materialibus recipiuntur tanquam in parte materiali.

Quartum est, quod essentia earum est multiplicabilis numeraliter in eadem specie propter materiæ signatæ divisionem. Et per hæc tria differunt ab intelligentiis in secundo ordine positæ, quæ immunes a materia infinitæque inferius parem sibi non compatiuntur. Et sic terminatur tractatus secundus hujus libri.

CAPUT VII

Quod accidentia habeant essentiam incompletam ostendit. Varia item accidentia distinguit, et quomodo in ipsis sumatur genus et differentia exponit.

Nunc autem restat videre, qualiter essentia sit in accidentibus : quomodo autem sit in omnibus substantiis, dictum est. Et, quia, ut dictum est, essentia per diffinitionem significatur, oportet quod eo modo habeant essentiam, quod habent diffinitionem. Diffinitionem autem habent incompletam, quia non possunt diffiniri, nisi ponatur subjectum in eorum diffinitione : et hoc ideo est, quia non habent in se esse absolutum per se a subjecto ; sed sicut ex forma et materia relinquuntur esse substantialia, quando componitur, ita ex accidente et subjecto relinquuntur esse accidentalia, quando accidens subjecto advenit. Et ideo etiam nec forma substantialis completam essentiam habet, nec materia : quia in diffinitione formæ substantialis oportet, quod ponatur illud, cujus est forma, et ita diffinitio ejus est per additionem alicujus, quod extra ejus genus est, sicut et diffinitio formæ accidentalis ; ut etiam in diffinitione animæ ponitur corpus a naturali, qui considerat animam solum, in quantum est forma physici corporis. Sed tamen inter formas substantiales et accidentales tantum interest : quia sicut forma substantialis non habet per se esse absolutum sine eo, cui advenit, ita nec illud, cui advenit, scilicet materia : et ideo ea ex conjunctione utriusque relinquuntur illud esse, in quo res per se subsistit, et ex eis efficitur unum per se : propter quod ex conjunctione eorum relinquuntur essentia quædam. Unde forma, quamvis in se considerata non habeat rationem completam essentia, tamen est pars essentia completæ. Sed illud, cui advenit accidens, est ens in se completum consistens in suo esse, quod quidem esse naturaliter præcedit accidens, quod

supervenit: et ideo accidens superveniens, ex conjunctione sui cum eo, cui supervenit, non causat illud esse, in quo res subsistit, per quod res est ens per se: sed causat quoddam esse secundum, sive quo res subsistens intelligi potest esse: sicut primum potest intelligi sine secundo vel prædicatum sine subjecto. Unde ex accidente et subjecto non fit unum per se, sed unum per accidens, et ideo ex eorum conjunctione non resultat essentia quedam, sicut ex conjunctione formæ cum materia, propter quod accidens neque rationem completæ essentiæ habet, neque pars completæ essentiæ: sed sicut est ens secundum quid, ita et essentia secundum quid habet.

In hoc tractatu tertio, unico capitulo contento, determinatur de accidentibus, ut nihil sub latitudine entis intactum remaneat. Dividitur autem in tres partes, in quarum prima quid significet essentia in accidentibus declaratur; in secunda vero diversitas accidentium a substantia et inter se; in tertia autem, quomodo se habeant ad intentiones logicas. Declarat ergo primum tali conclusione, Accidentia habent essentiam incompletam. Probatur sic, quæcumque habent definitionem incompletam, habent essentiam incompletam: accidentia habent definitionem incompletam, ergo. Major patet ex eo, quod essentia est id quod per definitionem significatur, ut dictum fuit in principio libri.

Minor probatio est: quia quæcumque diffiniuntur necessario per aliquod, quod est extra eorum essentiam, habent definitionem incompletam, definitio enim talium non completur per intrinseca, sed eget extrinseco additamento: sed accidentia diffiniuntur necessario per aliquod, quod est extra eorum essentiam: oportet siquidem in eorum definitione poni subjectum, ut dicitur VII Metaph., text. comm. xv; ergo accidentia habent definitionem incompletam.

Ad evidenter manifestandum minorem S. Thomas in littera comparat accidentia formis substantialibus penes convenientiam et differentiam, inde enim clare patet, quomodo accidentia habent essentiam incompletam.

Convenire ait accidentia cum formis substantialibus in tribus. Primo in hoc, quod neutrum eorum habet esse absolutum a subjecto independentem a receptivo, sed sicut ex forma substantiali conjuncta materia fluit esse commune utrique: ita ex conjunctione accidentis cum subjecto relinquatur esse commune utrique; ex conjunctione enim albedinis cum nive fit esse, quo et albedo est, et nix est alba.

Secundo conveniunt in hoc, quod neutrum eorum habet essentiam completam: quia essentia utriusque essentialiter ad aliud refertur, ut receptivum: forma siquidem substantialis essentialiter est entitas perfecta materiæ: et accidens essentialiter est entitas subjecti qualificativa.

Tertium autem, in quo conveniunt est, quod neutrum totum habet definitionem completam propriis terminis, sed per additamentum; sicut enim in definitione accidentis oportet poni suum subjectum, quod est extra ejus genus, ita in definitione formæ substantialis oportet ponere receptivum, materiam scilicet, quæ est extra ejus genus proprium: nam genus formæ est actus (et patet II de Anima); materiam autem cum ens dividatur in actum et potentiam, sub potentia contineri clarum est:

et consequenter esse extra actum, quod est genus formæ, hujus signum est, quod fecit Aristoteles diffiniendo animam, dum ponit in ejus definitione, corpus physicum organicum, quod propria materia est animæ in eo quod est corpus, physici perfectio. Addidit autem hoc, ne mireris, quare in definitione animæ non ponitur materia, cum sit forma substantialis, sed corpus physicum; hoc enim ideo est, quia physicus non considerat animam et formam substantialem, sed ut animam, quæ ut sic, corpus physicum præcigit tanquam propriam materiam. Hinc habes, quod considerare animam intellectivam ut sic, secundum suam completam quidditatem non est opus physici: ut etiam tradit Aristoteles in lib. I de partibus Animalium, c. i.

Differunt autem in quinque. Primo, quia receptivum formæ substantialis non habet esse per se sine esse formæ, est enim in hoc conforme suæ formæ: sicut enim forma substantialis non habet esse præter suum receptivum: ita nec suum receptivum habet esse præter suam formam; receptivum vero accidentis habet esse per se præter esse sui accidentis. Hujus differentie ratio est, quia receptivum formæ substantialis est ens in pura potentia, receptivum vero formæ accidentalis habet esse in actu.

Secundo vero differunt, quia ex conjunctione formæ substantialis ad suum receptivum emanat esse illud, quo res ipsa subsistit, seu simpliciter est. Ex conjunctione vero formæ accidentalis ad subjectum fluit esse, quo res secundum quid est. Et hæc differentia oritur ex prima: ex quo enim receptivum formæ substantialis caret esse per se, illo esse, quod ex forma fluit, primo est: et per oppositum, ex quo subjectum accidentis proprio esse gaudet, per ademptionem accidentis tale esse acquirit, et non esse simpliciter, hoc enim præhabet: et sic secundum hoc primum esse potest intelligi esse sine secundo, potest enim substantia ab accidente separari, ut dicitur VII Metaph., text. comm. iv.

Tertio differunt: quia ex compositione formæ substantialis cum suo subjecto fit unum per se. Ex compositione autem accidentis cum subjecto non fit unum nisi per accidens. Oritur autem hæc differentia ex secunda: ex quo enim ex forma substantiali esse simpliciter fit quo res per se est, oportet quod unum simpliciter fiat quo res sit per se una; ens enim sequitur unum. Ex eo vero, quod subjectum et accidens duo esse habet, unum per se facere non possunt eadem ratione: quia, scilicet unum sequitur ens: non enim potest esse quod unum per se sequatur ens per accidens.

Quarto differunt: quia ex conjunctione formæ substantialis cum materia resultat essentia quedam tertia, scilicet entitas. Ex conjunctione vero accidentis cum subjecto non fit aliqua essentia tertia. Oritur autem hæc differentia ex tertia: cum enim essentia sit id quod per definitionem significatur, ut res definita: diffinitum autem oportet esse unum per se secundum Aristotelem VII Metaph., text. comm. xvi, ex eo quod ex accidente et subjecto non fit unum per se, habetur quod nec essentia aliqua resultat; et per oppositum: ex eo quod ex forma substantiali et materia unum per se fit, essentia tertia resultat.

Quinto differunt: quia forma substantialis eisi non sit essentia completa: est tamen pars completæ essentiæ. Accidens vero non est essentia completa, nec pars essentiæ completæ. Sequitur autem hæc differentia quinta ex quarta; si enim ex forma et materia fit essentia quedam tertia, forma substantialis illius pars erit. Si autem ex accidente et

subjecto essentia nulla resultat, accidens nullius complete essentia pars poni potest : et sic accidens incompletum et secundum quid est ens, ac consequenter incompletam essentiam et diffinitionem habet. Nec te moveat, quod formam substantialem non absolutam a receptivo, et esse non habere sine materia modo dicitur, et superius dictum sit animam intellectivam independentem a materia et separalam ab illa secundum rem remanere : hoc enim est simpliciter verum : ad verificationem autem ejus quod modo diximus, sufficit animam intellectivam esse essentialiter materiæ informativam : et tali modo ab illa insolubilem secundum esse quidditativum, ut ejus diffinitio ostendit, et quod forma substantialis ut sic, non habet unde secundum esse actualis existentie a materia absolvatur et independens sit : licet aliunde alicui forme substantiali hoc insit, puta ex hoc quod est intellectiva; loquimur enim de forma partis substantiali ut sic.

Circa hæc supradicta multa sunt dubia. Circa secundam enim convenientiam dubitatur, an sit verum quod ibi dicitur, scilicet quod essentia accidentales essentialiter non sunt absolute a receptivo.

Et hanc dubitationem comitatur alia, circa tertiam convenientiam, an scilicet accidentia necessaria per subjectum diffiniantur.

Occurrunt quoque questiones circa differentias assignatas ; et prima quidem habet dubitationem de utroque membro cum sua radice, an scilicet forma substantialis pura potentie tantum actus sit.

Et, an forma accidentalis in ente, in actu tantum recipiatur.

Circa secundam differentiam est dubium, an accidentia habeant propriam existentiam distinctam realiter ab existentia substantiali.

Et iterum est ibi dubium : an substantia subjècta accidenti possit intelligi esse absque omni accidente.

Istas sex dubitationes si diffuse tractare vellemus, propositi limites exiremus, alterius enim negotii est : sed ne omnino jejuni transeamus, de pluribus earum dicitur ordine supradicto, fundamenta et nostra et adversariorum adducendo.

QUESTIO XV

Num inherentia aptitudinalis sit de essentia accidentis.

Circa primum dubium declarato titulo primo adducetur opinio Scoti : secundo S. Thomæ : tertio respondebitur argumentis in oppositum. Est igitur sensus primi dubii, an de essentia accidentis sit dependentia ad subjectum : quod sub specialibus vocabulis dubitatur ab aliis, cum quaeritur, an inherentia aptitudinalis sit de essentia accidentis. Scotus in IV sent., dist. xii, quæst. 1, decidit hanc questionem, quoad accidentia absoluta, scilicet quantitatem et qualitatem : atque tales, qui hoc vertunt in dubium, quod nominis ipsius inherentiæ ignorare, contentusque est unica ratione ad probandum, quod impossibile sit inherentiam quamcumque esse de essentia accidentis absoluti, sic. Nulla relatio est de conceptu formali rei absolute : omnis inherentia est relatio, ergo nulla inherentia est de conceptu formali rei absolute.

Aliter hæc ratio formatur ab eodem, sic : Id quod est essentialiter ad se, non includit in se essentialiter respectum secundum Augustinum, VII de Trinitate, capitulo II : sed accidens absolutum est ad se : ergo

accidens absolutum non includit essentialiter respectum, inherentia autem respectus est : ergo.

Ab aliis autem confirmatur eadem ratio sic : Omne quod relative dicitur, est aliquid præter relationem : fundamentum enim relationis est aliud formaliter a relatione : sed accidens absolutum, puta qualitas relative dicitur inherens : ergo est aliquid absolutum præter inherentiam.

Præterea, Inherentia aptitudinalis est de essentia accidentis ; ergo quantitas et qualitas non sunt genera generalissima. Tenet consequentia ex eo, quod tunc a quantitate et qualitate et cæteris accidentibus posset abstrahi conceptus communis quidditativus ejusdem rationis in omnibus illis inferior conceptu entis : et superior illis novem generibus scilicet, esse in : et sic cum omnis talis conceptus sit genus, novem genera accidentium generalissima non erunt, habent enim superventens genus.

Thomistarum autem sententia est inherentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis, et eam non esse relationem.

Sciendum est enim aliquid esse absolutum vel respectivum dupliciter, scilicet a subjecto et a termino. Absolutum enim a subjecto ens, est id quod non est natum recipi in alio ut substantia. Respectivum ad aliud, ut subjectum est id, quod essentialiter natum est recipi in alio, ut omne accidens. Absolutum a termino est id, quod formaliter non respicit aliud præcise, ut terminum ad quem, ut substantia, quantitas et qualitas. Respectivum ad aliud ut terminum est id, quod formaliter respicit aliud præcise, ut terminum ad quem, sicut prædicamentum relationis. In hoc enim differt relatio pertinens ad prædicamentum relationis ab aliis respectibus cæterorum generum, qui a quibusdam transcendentes vocantur, quod respectus pertinens ad genus ad aliquid, essentialiter est ad aliud, non ut receptivum, vel causam efficientem aut finalem aut formalem : sed præcise est ad aliud tanquam terminum ; unum enim relativorum nec est forma nec finis nec efficiens alterius, sed terminus. Propter quod dicit Magnus Albertus, quod unum relativorum non est diffiniendum per reliquum : eo quod ly per, denotat causalitatem. Respectus autem aliorum generum, qui propter vocabulorum penuriam respectus dicitur, respicit essentialiter aliud : sed ut subjectum vel materiam vel formam, et hujusmodi, sic enim materia essentialiter respicit formam, et e contra : ut de commensuratione anime intellectivæ supra dictum est ; cum ergo inherentia aptitudinalis importet respectum ad aliud ut receptivum, ipsam non de genere relationis, sed identificatam cuilibet generi, modo absolutum ens modo relativum significare dicimus. Unde non prohibetur inherentia aptitudinalis esse de essentia absoluti accidentis ex eo, quod est respectus : immo ex hoc, quod accidens absolutum non a subjecto est, licet a termino, sequitur quod de essentia ejus sit essentialis dependentia ad subjectum, quam inherentia aptitudinalis explicat.

Consona autem nostra positio rationi ostenditur, ex eo quod scit esse ad constituit accidens relationem : ita esse in constituit accidens universale. Contrahitur enim ens per esse in, ad novem genera accidentium, et ideo sicut ad, est de essentia relationis : ita in est de essentia accidentis. Unde Simplicius in commento prædicamentorum dicit esse in, nullum constituit genus, sed omne accidens circuit.

Et confirmatur ex eo quod nisi aptitudinalis inherentia esset de

essentia accidentis, posset completa diffinitione ipsum accidens concipi absque aptitudinali inhaerentia in ejus diffinitione posita: quod est impossibile, oportet enim ipsum in sua diffinitione habere essentialem dependentiam ad subjectum, quam inhaerentia aptitudinalis explicat: aliter subjecto non esset opus ad diffiniendum. Propterea in pluribus locis ait S. Thomas quod diffinitio accidentis est hoc, seu aliud hujusmodi: Res, cui debetur esse in alio. Hæc de secundo.

Ad primum autem in oppositum dicitur quod minor primi est falsa, et deceptus videtur Scotus: quia non vidit differentiam inter respectum in, et ad. Respectus enim in, et non est relatio, nam licet talis respectus terminetur ad subjectum, et consequenter subjectum sit terminus: tamen non terminat ut terminus, sed ut receptivum illius, et hoc oportet hic valde attendere, aliud est enim dicere A est terminus talis respectus: et, A terminat talem respectum ut terminus: ut ex dictis patet.

Et per hoc patet responsio tam ad secundam, quam ad tertiam formam ejusdem questionis: semper enim supponit aptitudinalem inhaerentiam esse relationem.

Ad ultimum negatur consequentia: dicitur namque quod esse in est diversarum rationum in prædicamentis, sicut et ens: est siquidem in, analogum ad novem genera accidentium sicut et ens ad omnia genera.

Ex his patet solutio secundæ dubii, in quo Scotus nobiscum concordat in IV, dist. XII, ita quod unanimiter fateamur accidens non posse complete diffiniri absque additione subjecti, ut nunc nunc est probatum: quod plenius inferius patebit, cum declaratum fuerit, unde sumantur genus et differentia in eis. Testatur et hoc Aristoteles in VII Metaph., text. comm. xv et XVII.

Tertia dubitatio, quoniam nimis est ampla, alibi discutienda relinquatur, oportet siquidem ad plenam illius resolutionem multos quintenos implere.

QUÆSTIO XVI

Num dimensiones interminate præcedant formam substantialem in materia. Opinio Avicennæ de substantia orbis, c. 1, col. 2, I Phys., c. LXIII, et IV Phys., c. XXV, prima ratio.

Quartam vero, quia de accidentis natura est, ejus tractatum agimus non omnino præmittendum duo. In qua tria agenda sunt: primo recitabitur opinio Averrois, secundo ponetur opinio S. Thomæ, tertio respondebitur argumentis in oppositum.

Sciendum est quoad primum, Averroem in libro de Substantia orbis fundasse opinionem nobis contrariam, ponendo in materia prima, quæ est pura potentia, accipi dimensiones interminatas. Ex hoc enim sequitur non omne accidens esse subjective in ente in actu.

Movetur autem ad hoc opimandum rationibus plerisque ducentibus ad impossibile. Prima est: Dimensio interminata non est in materia coacterna sibi: ergo corpus fit ex non corpore et dimensio ex non dimensione, et tunc ultima sequitur, ergo formæ corporales, id est dimensiones sunt sibi invicem contrariæ, et succedentes sibi invicem in subjecto, sicut sibi invicem succedunt formæ substantiales in eadem

materia, consequens est impossibile, ergo a destructione consequentis, etc. Impossibilitas consequentis patet ex eo, quod neque motus neque mutatio aliqua est ad quantitatem interminatam. Augmentatio enim est ad quantitatem terminatam. Patet quoque ex eo quod quantitati nihil est contrarium ut dicitur in prædicamentis. Consequentia autem probatur ex eo, quod omne quod fit ex suo contrario seu privato, ut dicitur I Phys., text. comm. LXIV et V ejusdem text. comm. VII.

Secunda ratio est ista: Quantitas interminata non est in materia: ergo materia non potest simul formas distinctas specie aut numero recipere: consequens est falsum ad sensum, ergo. Consequentia probatur ex eo, quod diversæ formæ non possunt simul recipi nisi in diversis partibus materiae, materia vero diversis partibus caret ante quantitatis receptionem, substantia siquidem exclusa quantitate indivisibilis est, ut dicitur I Phys., text. comm. xv.

Tertia ratio est ista: Quantitas non est in materia subjective: ergo forma non dividitur per divisionem materiae. Tenet consequentia: quia forma recipitur in materia indivisibili, cum quantitate ponatur carere. Tunc ultra, ergo forma recepta in materia nullam divisionem habet. Tenet consequentia: quia omnis divisio formæ materialis præexigit diversitatem partium materiae. Tunc ultra, ergo forma recepta in materia est æterna et carens contrario: Tenet consequentia: quia temporalitas formæ corruptibilitatem ejus sequitur: corruptibilis autem non est forma aliqua, nisi receptivum ejus habeat diversas partes, quarum alteram ipsa, alteram formam alia informet: cum oportet communicari in materia ea, quæ invicem corrumpuntur ut I de Generatione, text. comm. LIII, dicitur, et tunc ultimo sequitur quod nullam nisi primam formam materia recipiat, oportet enim corruptionem unius esse generationem alterius, ut dicitur in I de Generatione, text. comm. XVII, et consequenter caret contrario. Hæc de primo.

Hanc opinionem, etsi in quibusdam suis libris sequatur S. Thomas, propria tamen sententia oppositum ultimo determinavit in I Parte, quæst. LXXVI, art. 6, ubi tali ratione utitur contra Averrois positionem: Quodcumque aliquid est in potentia ad actum omnem, ordine quodam prius recipit actum primum simpliciter et demum sequentes, sed materia prima secundum se est in potentia ad omnes actus substantiales et accidentales ordine quodam: ergo prius recipit actum primum simpliciter, deinde posteriorem; sed primus actus simpliciter etiam ordine generationis est esse: ergo primum, quod intelligitur recipi in materia est esse, substantiale, et non nisi a forma substantiâli: ergo prius recipitur in materia forma substantiâli, quam quodcumque accidens, et sic omne accidens sequens advenit enti in actu. Quod primus actus simpliciter sit esse, patet tum auctoritate libri de causis in principio, tum quia esse quantum præsupponit esse: et similiter esse quale præsupponit esse: et sic de aliis. Sequuntur præterea ad hanc positionem multa inconvenientia: quod scilicet ens secundum quid præcedat esse simpliciter: et quod ens per accidens sit prius ente per se: et quod materia majorem connexionem habeat cum forma alierius generis, quam cum forma proprii generis, ex quo a qualibet forma substantiâli est denudabilis, et non a qualibet forma accidentali: et quod substantiæ generabilis sint non solum tria, sed quatuor principia, scilicet materia, forma, privato et quantitas interminata; non enim potest fingi quin sit principium saltem per accidens, cum sit con-

juncta principio per se, sicut de privatione dicitur, et sic debuit connumerari ab Aristotele. Tenenda est igitur opinio S. Thomæ quod omne accidens est subjective in ente in actu, et per hoc differt a forma substantiali, quæ est subjective in ente in pura potentia. Et hæc de secundo.

Ad primam rationem Averrois dicitur quod consequens primum illarum habet multiplicem sensum et quandoque verum, quandoque falsum : et ideo distinguendum est, si namque ly ex dicat habitudinem causæ materialis, verum est : corpus enim fit ex materia quæ non est corpus et indivisibilis in actu, licet sit corpus et divisibilis in potentia ; si autem ly ex dicat habitudinem termini a quo, falsum est : necesse est enim materiam, ex qua fit corpus immediate, ante illud instans habuisse corporeitatem : et universaliter in omni instanti temporis necesse est ipsam esse sub dimensionibus, et hoc modo intelligendum est quod Aristoteles III Cæli, text. comm. xxix et lxiv, dicit, quod impossibile est corpus fieri ex non corpore, id est post non corpus. Amplius est distinguendum ly fit : corpus enim seu dimensionem fieri intelligi potest dupliciter. Uno modo terminative, id est, ut fiat tanquam terminus alicujus motus vel mutationis, et hoc modo est impossibile fieri dimensionem. Alio modo concomitative, id est ut sit tanquam aliquod consequens ipsum terminum motus seu mutationis : et hoc modo verum est, corpus fieri : neque enim generatio, neque alteratio, neque motus localis ad quantitatem terminatur, ut quantitas est, licet augmentatio terminatur ad quantitatem perfectam ; sed quando generatio terminatur per se primo ad compositum substantiale, generatur consecutive ejus accidentia inseparabilia, de quorum numero est quantitas, quæ substantialem corporeitatem sequitur. Peccatum ergo accidit in prima ratione Averrois : quia concessa prima consequentia, pro quanto infert consequens in sensu uno, non tenet secunda consequentia, quæ supponit dimensiones fieri non concomitative, et per accidens, sed determinative ; de illis enim, quæ fiunt ut termini mutationum, verificatur, quod corrumpuntur a contrario, et quod succedunt sibi invicem se mutuo expellentia, et non de illis quæ fiunt consecutive, de quorum numero est quantitas interminata.

Ad secundam rationem negatur consequentia. Et ad probationem dicitur, quod diversas formas præexigere diversas partes in materia potest intelligi dupliciter. Uno modo ut ly præ, dicat ordinem temporis : et sic verum est, quasumque duas formas simul recipiendas in materia præexigere eam esse distinctam in plures partes immediate ante illud instans, in quo illæ formæ inducuntur ; eadem enim pars materiæ non potest simul ad duas formas alteratione sufficiente disponi ; sed talis distinctio partium materiæ prææcta non oportet quod fiat per interminatas dimensiones ipsi materiæ inherentes, sed fit per dimensiones præcedentium compositorum. Alio modo potest intelligi ut ly præ, dicat ordinem necessarium : ita quod in instanti introductionis formarum necesse sit materiam habere prius natura diversitatem partium, et post formas distinctas : et hoc est falsum : oportet enim prius natura materiam esse, quam distinctam esse : in illo ergo et pro illo instanti exigunt due formæ distinctas partes materiæ sed non præxiunt.

Ad tertium dicitur quod formam dividi per divisionem subjecti potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut ideo forma divisionem habeat ex subjecto, quia in materia prædivisa recipitur, et hoc modo quomodo sit

verum et quomodo sit falsum, nunc nunc declaratum est. Alio modo, ut ideo forma dividatur ad divisionem subjecti : quia forma habet talem divisionem ratione sui subjecti, et hoc modo verum est : eo quod divisio quantitativa convenit formæ substantiati ex hoc quod est in materia, ratione ejus compositum est quantum : sicut enim qualitas sequitur compositum ratione formæ, non ita tamen quod ipsa qualitas præsit in ipsa forma subjective : ita quantitas inest composito ratione materiæ, non ita quod præsit in materia : quia ergo divisio quantitativa formæ non convenit nisi ratione materiæ, in qua recipitur, ut formæ a materia separatæ ostendant : ideo formas dividi ad divisionem subjecti concedimus, non tamen divisionem istam præcedere formam sed comitari. Unde patet responsio ad totum processum rationis : quoniam ruit, fundamentum falso innitens ; fundatur enim super hoc quod in expositione nostra sequitur, formas non dividi ad divisionem subjecti : quod patet non sequi.

Quinta dubitatio prætermisiss argumentis secundum S. Thomæ doctrinam habet partem affirmativam veram. Cum enim ab omni forma fluat aliquod esse, quia forma est quæ dat esse rei, necesse est a forma accidentali fluere accidentale esse : sicut ab albedine esse album, et a dulcedine esse dulce.

Quod autem esse quod fluat a forma accidentali non est idem quod esse substantiale, ex propriis rationibus substantiæ et accidentis notissimum est : esse namque substantiale est esse simpliciter secundum se independens et primum : esse autem accidentale est esse secundum quid in alio dependens a subjecto, et posterius. Nec esse solum actualis existentiæ accidentis distinguitur realiter ab esse subjecti actualis, sed etiam ab ipsa essentia formæ accidentalis a qua est. Jam enim supra probatum est, quod nulla quidditas creata est sum esse existentie. Unde existentia albedinis nec est ipsa albedo nec existentia subjecti nec receptio albedinis in subjecto : sicut nec existentia formæ substantialis est ipsa forma aut materia aut receptio formæ in materia, sed quemadmodum forma substantialis recepta in materia perficit ipsam ut utraque existentiam recipiat : ita albedo recepta in subjecto perficit ipsum ut esse album recipiat, ita quod sicut forma est ratio materiæ et composito substantiali, quod esse habeat : ita albedo est ratio subjecto composito ex albedine et subjecto quod habeat tale esse, album scilicet, et sicut tot esse substantiale in aliquo oportet esse quot sunt formæ substantiales : ita secundum numerum formarum accidentium multiplicatur esse accidentale. Aliud est siquidem esse album et aliud est esse dulce.

Errant propterea qui S. Thomæ imposuerunt opinionem recitatam a Scoto in IV Sent., dist. xxii.

circa sextam dubitationem, an scilicet substantia accidenti subjecta possit intelligi esse sine omni accidente, declaranda est primo sententia Sancti Doctoris. Error deinde quidem elidendus.

Ad percipiendum primum, distinguendum est quod de substantia et accidente dupliciter loqui possumus. Primo modo ut sic, id est de substantia sub ratione substantiæ et de accidente in eo quod accidens. Alio modo contingit loqui de substantia et accidente sub ratione talis substantiæ et talis accidentis : primo modo substantia est separabilis ab omni accidente, eo quod esse substantiale, ut sic, nullam connexionem necessariam habet cum esse accidentali : alioquin omnis substantia

esset accidenti subjecta. Secundo modo substantia non potest separari ab omni accidente: quia non a propria passione propter connexionem necessariam, quæ est inter subjectum et propriam passionem, non propter hanc quod subjectum dependet a passione, propterea S. Thomas in questionibus disputatis de spiritualibus creaturis, quæst. ultima, ad septimum, et in questionibus de Anima, quæst. XII, ad septimum, ait, quod subjectum esse sine propria passione non est possibile nec intelligibile. In littera autem loquens de esse substantiali et accidentali, ut sic, ait subjectum posse esse sine accidentali forma sibi adveniente. Ostendit autem natura demonstrationis subjectum esse non posse sine passione; oportet namque conclusionem, quæ inhaerentiam passionis in subjecto concludit necessariam esse, et impossibile aliter se habere.

Error autem intolerabilis hic cavendus est, positus ab Antonio Trombeta in quolibet suo dicente, quod quia secundum S. Thomam et ejus sequaces subjectum non est nisi causa materialis respectu passionis, et passio est accidens, ex quo necessario sequitur subjectum posse esse sine propria passione. Fundamentum autem hujus consequentiæ est quia omnis potentia passiva, est potentia contradictionis: sed subjectum est solum in passiva potentia respectu passionis: ergo est in potentia contradictionis, ergo potest habere ipsam et non ipsam. Major habetur ex IX Metaph., text. comm. XVII, et probatur etiam ratione sic: Passiones entis distinctæ sunt, tales, quod una includit negationem alterius, ergo potentiam includit negationem actus: et per consequens potentia ut potentia est non repugnat esse sine actu, ergo omnis potentia est potentia contradictionis.

Præterea ad idem, Possibile est medium inter necessarium et impossibile: ergo cum necessarium respiciat esse solum, et impossibile non esse solum, possibile respicit esse et non esse: et sic omnis potentia cum ab ea cadatur possibile est potentia contradictionis.

Præterea ad idem, Ideo potentia passiva est ad esse, quia potest ab alio recipere esse, scilicet ab agente; si autem ab alio recipit esse, illo circumscripto quantum est in se est sub non esse. Si ergo potentia passiva ex se est sub non esse, et ab agente potest habere esse, necessario sequitur quod est potentia contradictionis, scilicet ab esse et non esse.

Accidit autem error hic et in principiis et in conclusione. In principiis: quia S. Thomas in I Parte, quæst. LXXVII, art. 7, tenet ex intentione, et probat subjectum esse causam suæ propriæ passionis in triplici genere causæ, scilicet materiali, effectivæ et finalis: unde patet error minoris. Major autem licet sit Aristotelis, est tamen male intellecta et probata; potentia enim materialis est duplex: quaedam est receptiva tantum, quedam vero non solum receptiva, sed etiam passiva extenso nomine passionis ad omne genus transmutationis. Potentia receptiva tantum est necessario cœva suo actui, eo quod si esset ante suum actum, oporteret quod per aliquam transmutationem illam reciperet: et sic non esset receptiva tantum respectu illius. Potentia autem passiva necessario nulli actui cœva est, respectu ejus est passiva: eo quod omne actum per transmutationem acquirit, et consequenter per transmutationem perdit; omne enim generabile est corruptibile, ut dicitur I Cœli. Propositio ergo illa: Omnis potentia est potentia contradictionis, est intelligenda de potentia passiva, et non de receptiva tantum. Hanc glossam et sensus ipse et text. Aristotelis convincunt. Ad sensum enim

patet, in cœlo esse potentiam receptivam suæ figuræ: et tamen in eo talis potentia non est potentia contradictionis: cœlum enim non est in potentia ad aliam figuram. Aristoteles vero textu allegato IX Metaph., ait cœlum non esse in potentia ad motum, sed ad terminos ejus tantum: et tamen constat cœlum habere potentiam receptivam sui motus, unde ex hoc insinuavit, quod de potentia passiva loquebatur: ea enim cœlum est in potentia ad terminos motus. Unde cum subjectum non habeat potentiam passivam, sed receptivam tantum respectu propriæ passionis, nulla enim mutatio mediatur inter subjectum et passionem, oportet subjectum non esse in potentia contradictionis respectu passionis; et sic conclusio deducta fuit falsa.

Ad rationes autem, quibus arguens nititur illam propositionem de omni potentia receptiva probare, respondetur. Et ad primam dicitur, quod passiones entis distinctæ esse tales, quod una includit negationem alterius, verum est: quia una non est alia formaliter, potentia enim non est actus formaliter, sed ex hoc non sequitur: ergo quilibet potest esse sine alia. Nam non valet, hoc non est illud, ergo hoc potest esse sine illo.

Ad secundam dicitur, quod possibile ut distinguitur contra necessarium et impossibile, sumitur a potentia passiva, et non a potentia receptiva tantum: et ideo ex hoc non sequitur, nisi potentiam passivam esse potentiam contradictionis: cum tamen arguens debeat probare, quod omnis potentia receptiva sit potentia contradictionis.

Ad tertiam dicitur, quod propositio prima ibi adducta, scilicet quod ideo potentia est ad esse, quia potest recipere esse ab alio, scilicet ab agente, in uno sensu est vera, et in altero falsa: si enim ly potest, dicat posse distinctum contra impossibile, Aristoteles dicit eam esse falsam, est enim sensus quod ideo potentia est ad esse: quia non est impossibile ipsam recipere esse ab agente, et sic cœlum esset in potentia ad motum, cum recipiat ipsum ab alio. Si autem ly potest, dicat potentiam, ut distinguitur contra esse in actu, tunc propositio est vera, ideo enim aliquid est in potentia ad esse, quia potest recipere esse quod adhuc non habet, sicut ideo aliquid est in potentia ad non esse, quia potest habere non esse quo caret; sed cum omnis actus possibilis haberi ab aliqua potentia non nisi per transmutationem acquiratur, ad nostram positionem reditur, quod scilicet potentia passiva sola sit ad esse.

Alia ratione, quibus separabilitas substantiæ ab omni accidente a Scotista probatur, ex supradictis facile est solvere. Assumunt siquidem propositiones, quarum falsitas est superius declarata.

Sed, quia illud, quod dicitur maxime et verissime in quolibet genere, est causa eorum, quæ sunt post in illo genere, sicut ignis, qui in fine caliditatis est causa caloris in rebus calidis, ut in II Metaph., dicitur: ideo substantia, quæ est principium in genere entis, maxime et verissime essentiam habens, oportet quod sit causa accidentium, quæ secundario et quasi secundum quid rationem entis participant.

In hac secunda parte capituli diversitatem accidentium inter se declaratur præmitti causam accidentium, quæ sit, ut causas diversitatis eorum insinuet tali conclusione; Substantia est causa accidentium; quam probat sic: Maxime et verissime ens est causa reliquorum entium: sub-

stantia est maxime et verissime ens, ergo substantia est causa aliorum entium : sed talia sunt accidentia. Minor vero ex VII Metaph. in principio patet. Major vero ex II Metaph., text. comm. iv, habetur, ubi dicitur, quod universaliter id quod est maxime tale in aliquo ordine, est causa omnium aliorum in illo ordine, ut sic : sicut ignis qui in ordine calidorum est maxime calidus, omnium calidorum est causa ut sint calida. Utitur autem nomine generis in littera, sicut Aristoteles utitur ibi univocatione : eo quod ad veritatem hujus propositionis exigitur, quod causa communicet eum effectum in nomine et ratione, licet analogice eadem : non enim sequitur ; cœlum est causa omnium calidorum, ergo cœlum est maxime calidum, quod tamen sequeretur, si cœlo calidi nomen non æquivoce conveniret. Quia igitur substantia et accidens in nomine et ratione entis analogica tamen conveniunt, et substantia maxime est ens, ideo causa est omnium aliorum ut entia sint.

Quod tamen diversimode contingit : quia enim partes substantiæ sunt materia et forma, ideo quædam accidentia principaliter consequuntur formam, et quædam materiam.

Quia accidentia causantur a substantia in qua sunt, et effectuum diversitas ex causis provenit, assignat diversitatem inter accidentia a priori ex diversitate partium substantiæ a quibus fluunt accidentia : et ponit tres distinctiones.

Quarum prima cum suis divisionibus talis est : accidentium alia sequuntur principaliter formam : alia sequuntur principaliter materiam. Accidentium sequentium formam quædam communicant materiæ, quædam vero sunt separata a materia. Accidentium autem sequentium materiam, quædam sequuntur eam in ordine ad formam generalem, et quædam in ordine ad formam specialem.

Est autem ratio primæ divisionis, quia cum unumquodque operetur per quod est actu et semper species aliqua movere et agere existimetur, ut dicitur III Phys., text. comm. xvii, oportet formam sequi operationes et operativas virtutes : similiter cum patitur et transmutetur unumquodque ratione materiæ, oportet plura accidentia eam sequi ut ea quæ propter materiæ diversam complexionem insunt, et ipsam motui subjiciunt, etc. Apposuit autem in prima divisione ly principaliter, ut distinguitur contra totaliter : nullum enim accidens est solius formæ aut solius materiæ, sed omnia sunt compositi (etenim ad ipsam quoque intellectionem non solum anima concurrat sed totum compositum ex materia et forma, Sortes enim est, qui primo intelligit). Est ergo sensus divisionis quod accidentium quædam sequuntur formam non ut causam totalem sed principalem : quædam similiter sequuntur materiam ut causam principalem non totalem. Cum enim omnium accidentium causa sit id quod vere est, id est substantia completa, omnium causa est compositum ex materia et forma : sed aliorum principalis radix est forma, aliorum vero principalis radix est materia. Sicut enim in artificialibus aliquid convenit composito ratione formæ et aliquid ratione materiæ, quemadmodum scindere convenit serræ ratione formæ, durities autem ratione materiæ : ita et in naturalibus aliquid oritur in composito ratione formæ, et aliquid ratione materiæ quemadmodum in Sorte sentire et intelligere est ratione formæ, masculinum vero ratione materiæ. Quæ autem sit regula ad discernendum accidentia sequentia formam ab accidentibus sequentibus materiam, infra assignabitur.

Forma autem invenitur aliqua, cujus esse non dependet a materia, ut anima intellectualis. Materia vero non habet esse nisi per formam, unde in accidentibus, quæ sequuntur formam, est aliquid, quod non habet communicationem cum materia, ut intelligere, quod non est per organum corporale, sicut probat Philosophus in III de Anima. Aliqua vero ex consequentibus formam sunt, quæ habent communicationem cum materia, ut sentire, sed nullum accidens sequitur materiam sine communicatione formæ.

Hic ponitur prima subdivisio cum ejus causa. Cum enim propriæ virtutes et proprietates et operationes formarum ipsis formis proportionari debeant, ita si essentia ipsius formæ sit dependens a materia, virtus et operatio ejus (cum non sint ipsa forma a qua fluunt perfectiores) deperdere oportet a materia. Et si essentia formæ est independens a materia, virtutem aliquam oportet habere a materia independentem, alioquin otiose fecisset natura formam independentem : fecisset siquidem naturam elevatam supra materiam, ut sic non posset operari et consequenter nec finem proprium consequi ; unumquodque enim est propter suam operationem, ut dicitur II Cœli, text. comm. xvii. Quia ergo invenitur duplex genus formarum substantialium : dependentium scilicet a materia, ut sunt omnes formæ materiales, et independentium ab ea, ut est anima humana, ideo invenitur duplex genus accidentium sequentium formam.

Quædam enim fluunt a forma dependente a materia, et hæc ita fluunt ab ea, quod tamen recipiuntur subjective in composito : propterea dicitur quod habent communicationem cum materia : ut sentire, vegetare, et hujusmodi.

Quædam vero fluunt a forma independente a materia ut sic : et hæc ita fluunt ab ipsa forma quod, recipiuntur in sola forma subjective : et propterea dicuntur non habere communicationem cum materia, ut intellectus et voluntas intelligere, velle, et hujusmodi.

Nec arbitreris nos immemores contradicere superius nunc dictis : utrumque enim est verum, quod scilicet omne accidens est compositum, ut supra diximus, et quod aliquid accidens est solius formæ, ut modo dicimus. Accidens enim esse alicuius potest intelligi dupliciter. Uno modo ut completi principii elicivi et receptivi : alio modo ut suppositi : hoc secundo modo omne accidens est compositum cujus esse et fieri, unde anima non intelligit ut suppositum, quod operatur, sed Sortes per animam. Primo vero modo aliquid accidens est ipsius animæ et aliquid est compositi : virtus enim intellectiva non est subjective in aliqua parte corporis, composita ex materia et forma, sed est subjective in sola essentia animæ, unde in III de Anima, text. comm. iv, dicitur quod intellectus nullius corporis est actus. Virtutes autem sensitivæ non sunt subjective in sola anima, sed in determinatis corporis partibus compositis ex materia et forma substantiali. Similiter completum elicivum principium sensationis non est sola potentia animæ, sed compositum ex organo corporali et virtute animæ. Intellectionis autem principium elicivum completum est ipsa sola virtus intellectiva : et cum operatio inmanens sit subjective in suo elicivum principio, intelligere erit in solo intellectu sicut in subjecto.

Propterea S. Thomas alibi dicit, quod anima intelligit sicut oculus videt: videt ut completum principium elicivum, oculus enim nominat compositum ex organo corporeo et virtute animæ: non ergo contradicunt ista: omne accidens est compositum, ut suppositum, et aliquod accidens est solius formæ ut completi principii elicivi et receptivi. Et licet totus sermo sit de accidentibus substantiarum materialium, ex his tamen innuitur natura accidentium, quæ sequuntur formam independentem a materia.

Et nota quod antequam ponatur alterius membri subdivisio, assignatur causa in littera, quare non sit talis subdivisio de accidentibus sequentibus materiam, qualis facta est de his quæ sequuntur formam, ut dicatur accidentium sequentium materiam, quædam communicantur formæ et quædam non: et causa est ista: quia non invenitur duplex materia, altera dependens a forma et altera non, sicut invenitur duplex forma; nulla enim materia potest esse sine forma, ut probatum fuit.

In his tamen accidentibus quæ materiam consequuntur, invenitur quædam diversitas. Quædam enim accidentia consequuntur materiam secundum ordinem quem habet ad formam specialem, ut masculinum et femininum in animalibus quorum diversitas ad materiam reducitur, ut dicitur in X Metaph., unde remota forma animalis dicta accidentia non remanent nisi æquivoce. Quædam vero consequuntur materiam secundum ordinem quem habet ad formam generalem: et ideo remota forma speciali adhuc in ea remanent, sicut nigredo entis est in Anthiopo ex mixtione elementorum, et non ex ratione animæ: et ideo post mortem in eo remanent.

Hic ponitur alterius membri divisio talis: Accidentium sequentium materiam quædam sequuntur eam in ordine ad formam generalem, quædam in ordine ad formam specialem. Illa accidentia dicuntur sequi materiam in ordine ad formam generalem, quæ individuo generis altioris conveniunt ratione magis suæ materię quam formæ: sicut hoc mixtum habet cutis nigredinem non ex ratione formæ mixti, sed quia materia sua talis passa est, puta in tali climate, ubi calor solis abundat. Illa vero dicuntur et consequi materiam in ordine ad formam specialem, quæ individuo inferioris generis vel speciei conveniunt magis ratione materię quam formæ: sicut hoc animal est masculinum non ratione animæ principaliter, sed quia materiam ad animam dispositam talis passio comilata est: puta quia materia plene dominio actus vigorosi seminis subjecta non fuit. Signum autem, quod talia accidentia se habent, scilicet quod sequuntur materiam, secundum quod respicit formam altioris vel inferioris generis, est, quod aliqua eorum ejusdem rationis remanent composito corrupto, et quædam non remanent nisi æquivoce: nigredo siquidem hominis vivi et mortui ejusdem rationis est; masculinitas autem non: causa autem hujus nulla est alia, nisi quia masculinitas sequitur animal ratione suæ propriæ materię, et propterea corrupto animali et non remanente nisi æquivoce, oportet masculinitatem, in cuius ratione ponitur animal, æquivoce remanere. Albedo autem quia mixti materiam sequitur in cadavere remanentis, secundum eandem diffinitionem non æquivoce remanet.

QUÆSTIO XVII

*Num eadem accidentia numero sint in genito et corrupto. Averrois-
tarum quorundam opinio. In De substantia orbis, c. 1 et 1 Phys., LXVI.*

Circa ea quæ hic dicuntur accidit dubium, utrum nigredo cutis in Æthiopo vivo et mortuo sit una et eadem numero: et universaliter utrum sit idem numero accidens in genito et corrupto. In hac dubitatione tria agenda sunt: primo recitabitur opinio quorundam; secundo ponetur opinio S. Thomæ; tertio respondebitur ad objecta.

Quoad primum quidam opinantur accidentia communia genito et corrupto esse eadem numero in utroque, inter quos aliqui quibusdam verbis Averrois innixi tali distinctione suam promunt imaginationem: Accidentia communia genito et corrupto habent duplicem modum essendi, terminatum scilicet et interminatum. Accidentia interminata vocantur essentias accidentium absque limitatione ad talem vel talem gradum. Accidentia vero terminata dicuntur essentias accidentium limitatas ad hunc vel illum gradum. Accidentia interminata ponunt eadem numero esse in genito et corrupto, non autem terminata; unde scit quantitas interminata communis expresse a comment. et eadem in omnibus ponitur, ita color interminatus communis: et idem est in aere et igne.

Confirmatur autem opinio ista auctoritatibus et rationibus. Aristoteles enim, I de Generatione, text. comm. xxii, dicens: In his autem si aliqua manent in genito et corrupto, puta in aere et aqua, si ambo diaphana aut humida, etc., ostendit non esse inconveniens quod aliquid idem accidens sit in genito et corrupto. Et in II de Gener., text. comm. xxv, vult expresse quod in habentibus symbolum est facilior transitus: quia est facilius corrumpere unum quam duo. Averrois quoque in libro de Substantia orbis, non longe a principio, dicit non solum dimensiones interminatas, quas simplices vocat, remanere eadem in genito, sed universaliter qualitates omnes communes genito et corrupto.

Ratio autem prima ad hoc est: quia si qualitates disponentes materiam rei corruptendæ ad novam formam corrupturam, quaeritur, quid educit formam generandam? non potest dici quod illud sit agens extra: quia hoc non potest facere nisi per qualitates medias introductas in materia; qualitates autem illæ corrupti dicuntur ab adversario ante inductionem formæ, ergo remanet, quod nihil sit quod educat formam: quod est impossibile.

Præterea, Qualitates symbolæ, quaeritur a quo corrumpuntur, cum nullum contrarium appareat: et frustra corrupti res censeatur in alio quo instanti in quo eadem oportet generari.

Præterea, Figura cadaveris, organi ratio et cicatrix, et si qua sunt hujusmodi, si non remanent eadem, quaeritur a quo generantur: et cum non possit dici a quo generantur per modum sequelæ, oportet quod nullum sit generans. Quod autem non generentur per modum sequelæ, probatur. Accidentia enim aliqua ideo consecutive generantur, quia dans formam, dat consequentiam ad formam: modo ista accidentia repugnant formæ magis quam sequantur eam: cuius signum est, quia sub forma cadaveris ad corruptionem tendunt. Et hæc de primo.

CONCLUSIO

Non sunt eadem numero accidentia in genito et corrupto.

Quoad secundum sciendum est Thomistarum esse opinionem: Nullum accidens esse idem numero in genito et corrupto. Sequitur enim hoc necessario ex nostris principiis. Nam si nullum accidens est subjective in materia, et non datur nisi una forma substantialis in composito, impossibile est idem accidens remanere idem numero: migraret siquidem accidens de subjecto in subjectum, et esset idem et non idem. Nec rationes pro nunc ad hanc conclusionem afferam, quia oportet ad hoc efficaciter probandum probare illud principium, scilicet quod in composito est tantum una forma substantialis. Sed declarabo quomodo hoc sit possibile, et quomodo defendenda est ab adversariis positio nostra.

Sciendum est igitur accidens quadrupliciter corrumpi. Primo per alterationem oppositam suo contrario: ut frigus a calido. Secundo ad absentiam conservativi agentis, ut lumen in aere desinit sole recedente. Tertio ad corruptionem subjecti, ut risibilitas corrumpitur homine mortuo. Quarto ad corruptionem termini, ut similitudo desinit consimili perempto. Et quia quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur et reliquum; accidens generatur quadrupliciter. Primo ab agente sibi simili per transmutationem: sicut aqua calefit ab igne calido. Secundo ad presentiam agentis in fieri et esse, ut lumen in aere fit a sole presente. Tertio ad generationem subjecti, ut risibile generatur homine genito. Quarto ad generationem termini, ut Sorte solo albo existente, statim ad alterius albi generationem consurgit in Sorte similitudo.

Et licet omnibus istis modis contingat accidens secundum totam latitudinem corrumpi, nullus tamen illorum modorum convenit accidentibus omnibus nisi tertius. Commune namque est omnibus accidentibus corrumpi eorum subjecto corrupto, cum accidentis esse sit inesse: et ideo sufficiens causa corruptionis accidentium redditur, quando subjecto corrupto assignatur. Unde cum ex aere fit ignis, licet non oporteat corrumpi calorem aeris, sed potius intendi, quia tamen aer, qui subjectum illius est, corrumpitur, necesse est ipsum quoque calorem corrumpi absque contrario ad solum subjecti defectum. Propterea apparet qualiter peccent peccato fallaciae consequentis argumenta ea quae qualitates symbolas et dispositiones pro forma introducenda facientes, quia carent contrario corrumpente, remanere inferant.

Et notandum, quod quando accidens generatur ad generationem subjecti, vel corrumpitur ad corruptionem subjecti, tunc cum eadem actio terminetur ad utrumque, ad subjectum per se, et accidens consecutive, non oportet quaerere aliud generans vel corrumpens nisi generativum vel corruptivum subjecti. Idem enim est agens, quod utrumque simul et eadem operatio facit, sicut cum ignis ex aere ignem generat, alterando aerem, in fine alterationis aerem corrumpit per se, et consecutive calorem introductum, et universaliter omnia accidentia, quae in aere subjective erant ea consecutionis necessitate; quia accidens sine subjecto proprio remanere non potest, et in eodem instanti general ignem per se, et calorem consecutive absque alia media alteratione

similem calori ante illud instans existenti. Simile autem est iudicium de quantitate et figura et aliis dispositionibus et accidentibus similibus in genito et corrupto; omnia enim ista concomitative producuntur, et ideo non oportet quaerere generans nisi quod subjectum general. Et cum supradicta inspexeris, videbis, quod simile a suo simili concomitative et per accidens quandoque corrumpitur; et per oppositum a non simili concomitative, per accidens generari contingit ipsum accidens. Aristoteles ergo quoties dicit eadem remanere in genito et corrupto eadem specie, non numero ait; et hoc per accidens. Variatur enim unitas numeralis, non propter generationis vim, sed subjecti corruptionem. Facilius quoque transitus in habentibus symbolum, non ex identitate numerali symboli accidentis, sed ex non repugnantia illius in agendo vel patiendo provenit. Et ex hoc quod formae substantiales, a quibus fluunt similes qualitates sunt similiores; ex effectibus enim natura cause innotescit. Averrois autem (si salvari debet) eodem modo glossatur.

Ad rationem autem oppositae opinionis dicitur. Et ad primam quidem, quod educens formam in ultimo instanti, est generans extra, non per aliquam actionem, quam in illo instanti eliciat, sed in termino actionis, nudam materiam essentialiter attingens. Unde, cum dicitur, agens extra non potest educere formam, nisi per qualitates medias introductas, verum est, dum agit: non autem, cum est in termino actionis. Sufficit enim et exigitur alterasse ad materiam expoliationem et dispositionem.

Ad secundum dicitur, quod qualitates symbolas, et similia, corrumpuntur per accidens ad corruptionem subjecti a corrumpente per se subjectum; nec frustra in eodem instanti est primum non esse eorum, et primum esse similitum; sed necessario necessitate materiae, ut dicitur est.

Ad tertium dicitur, quod figura, ceteris, et huiusmodi, producuntur consecutive, et per accidens, a generante eorum subjectum, scilicet cadaver: nec est verum, quod sola illa accidentia generentur consecutive, quae sequuntur formam; sed multa accidentia sequuntur compositum ex necessitate materiae, quae sunt, licet non incompossibilia: aequaliter tamen opposita ipsi formae, ut patet de se. Et ideo dico, quod figura et similia sequuntur cadaver ex necessitate materiae, quia scilicet agens naturale non potest tam cito dispositiones per tot transmutationes radicales corrumpere totaliter, et ideo similes dispositiones sequuntur: et quia non sunt facientes pro forma geniti, ideo ad corruptionem properatur.

Et, quia unaquaeque res individuatur ex materia et collocatur in genere vel specie per suam formam, ideo accidentia quae consequuntur materiam sunt accidentia individui, secundum quae etiam individua ejusdem speciei differunt adinvicem. Accidentia vero, quae consequuntur formam, sunt propriae passionis vel generis vel speciei, unde inveniuntur in omnibus participantibus naturam generis vel speciei: sicut risibile consequitur in homine formam, quia risus contingit ex aliqua apprehensione animae hominis.

Hic ponitur secunda divisio accidentium, quae talis est, accidentium alia sunt accidentia individui, alia sunt accidentia generis vel speciei.

Duplex autem inter ista differentia ponitur. Prima est, quod accidentia individui consequuntur compositum ratione materiae principaliter; accidentia vero speciei vel generis sequuntur compositum ratione formae. Secunda est, quod accidentia individui sunt ea, penes quae attenditur differentia inter particularia ejusdem speciei; accidentia vero speciei sive generis sunt communia necessario omnibus individuis illius speciei vel generis. Exemplum, masculinum et femininum sunt accidentia individualia: sequuntur enim materiam, et penes ipsa differunt Sortes et Berta. Risibile autem est accidens specificum; sequitur enim intellectivam apprehensionem, et omnibus hominibus necessario convenit. Assignatur quoque radix proximae differentiae, cum dicitur, quod materia est principium individuationis, forma autem est, per quam res in genere vel specie collocatur. Ex hoc enim, quod materia est causa esse individualis ut sic, sequitur quod sit etiam radix accidentium consequentium ipsum esse individuale; ac per hoc accidentia individui sunt quae consequuntur materiam; ex eo quod forma est principium esse generici et specifici oportet quod etiam sit causa proprietatum et accidentium consequentium speciem vel genus: et sic accidentia speciei sive generis sequuntur formam. Secunda vero differentiae ratio est: quia cum tam in forma specifica quam generica conveniant omnia contenta sub eis, oportet etiam proprietates earum omnibus esse communes. Cum autem penes materiam differant individua, accidentia quoque materialia oportet esse ea, secundum quae ipsa particularia inter se differant, ut effectus proportionabiliter propriis respondeant causis.

Accidunt hic duo dubia circa litteram. Primum est qualiter sit verum, quod accidentia sequentia materiam sint ea penes quae differunt individua in eadem specie: quandoquidem quantitas sequitur materiam, et tamen est communis omnibus individuis corporis et inferiorum.

Secundum dubium est, qualiter verificetur quod accidentia sequentia materiam non sint passiones generis vel speciei, cum masculinum et femininum sequantur materiam, et tamen passiones animalis, unde et animal in eorum definitione ponitur, sicut subjectum in definitione passionis, ut, X Metaph., text. comm. xv, habetur. Similiter quantitas videtur esse passio corporis de predicamento substantiae, et tamen sequitur materiam.

Ad evidenciam primi scito, verba illa, scilicet accidentia sequentia materiam sunt ea secundum quae individua differunt, non esse intelligenda uniformiter, sed difformiter. Individua enim differunt penes accidentia materialia dupliciter, vel quia unum eorum habet unum, et reliquum aliud: vel quia utrumque habet idem, sed alio et alio modo. Verbi gratia, Sortes et Berta differunt penes masculinum et femininum, ex eo quod ille habet masculinitatem, illa femininitatem. Differunt quoque penes suas quantitates, non ex eo quod ille sit quantus et illa non, sed ex eo quod non eodem modo sunt quanti; nunquam enim inveniuntur duo quanta omnino similia: sitibus siquidem propriis differre necesse est. Quantitas ergo licet sit communis omnibus individuis, quia tamen non uniformiter eis convenit, est secundum quam individua inter se differunt secundo modo, et hoc sufficit.

Ad intelligentiam secundi notandum, quod passiones generum sunt duplices. Quaedam convenientes eis ratione formae genericae, et quaedam ratione materiae: illae quae sequuntur formam, vocatae sunt hic passiones generum, et non illae quae sequuntur eorum materiam: propterea quia

natura generica ex sua forma est talis et non ex materia: animal enim est animal ex sua forma, et non ex sua materia. Unde cum in proposito, animalis passio ratione formae sit sensibilitas, et ratione materiae masculinitas vel femininitas, diversis rationibus moti Aristoteles in Metaph. et S. Thomas hic, diversimode locuti sunt. Quia enim est passio animalis ratione materiae, ideo vocata est ibi passio; quia autem non ratione formae, ideo hic non est dicta passio.

Similiter dicendum est de quantitate, quia sequitur corpus ratione materiae: sequitur enim ipsum secundum id, quod est in potentia divisibile, quod non est nisi materia, ut indivisibilitas rerum immaterialium ostendit. Et nota quod haec secunda divisio accidentium non differt a prima per membra dividenda; eadem enim sunt hujus et illius membra, sed secundum rationem, quia illa divisio accepta est penes primas earum radices, materiam scilicet et formam, ista autem penes subjecta, quibus appropriantur, scilicet genus, speciem et individuum.

Sciendum etiam est, quod aliquando accidentia ex principiis essentialibus causantur secundum actum perfectum, sicut calor in igne, qui semper actu est calidus. Aliquando vero secundum aptitudinem tantum, sed complementum accipiunt accidentia ex agente exteriori: sicut diaphaneitas in aere, quae completur per corpus lucidum exteriori: et in talibus aptitudo est accidens inseparabile; sed complementum quod advenit ex aliquo principio, quod est extra essentiam rei, vel quod non intrat constitutionem rei, est separabile, sicut moveri, et hujusmodi.

Hic ponitur tertia divisio accidentium: quaedam causantur ex principiis essentialibus subjecti secundum actum perfectum, quaedam secundum aptitudinem tantum. Illa accidentia vocata causari secundum actum perfectum ex essentialibus principiis, quae secundum suas actualitates ex intrinsicis principiis subjecti in ipso fluunt, ut calor in igne. Illa vero dicitur causari secundum actum imperfectum, seu aptitudinem tantum, quae non secundum suas actualitates, sed secundum quasdam inchoationes ex principiis essentialibus subjecti in ipso fluunt, ut moveri sursum in igne ex principiis eius causatur secundum sui inchoationem, puta levitatem. Differunt autem, quia prima, et secundum suas aptitudines, et secundum se inseparabilia sunt a subjectis; secunda vero secundum se quidem sunt separabilia, secundum autem suas aptitudines non possunt separari. Ab igne enim neque aptitudo ad calorem neque calor ipse separari potest ipso remanente; motus autem sursum non semper inest igni, sed aptitudo ad motum sursum, puta levitas, est inseparabilis ab ipso: et causa horum est, quia in illis ipsa actualitas accidentis ex solis principiis essentialibus fluit, in istis vero aptitudo tantum ex solis principiis essentialibus fluit: ipsa autem actualitas aliunde expectatur ex aliquo, scilicet extrinsece concurrente, vel agendo vel non prohibendo: ut patet in exemplo dato de motu sursum, qui non inest igni, nisi in aliquo concurrente extrinseco removente scilicet prohibens: et diaphaneitas non est actu in aere, nisi concurrente extrinseco illuminante: lumen enim est actu diaphani secundum actum, ut dicitur II de Anima, text. comm. LXIX.

Profundiorum autem hujus divisionis causam elicio ex prima secunda, quaest. X, art. 1, ad secundum, quod scilicet ideo aliqua accidentia oriun-

tur ex principiis essentialibus inseparabiliter secundum actum completum, aliqua autem separabiliter secundum actum completum, et inseparabiliter secundum aptitudinem; quia illa sequuntur rei actualitatem, ista vero potentialitatem. Quod sic intelligitur, quia unumquodque agit secundum quod est actu, patitur autem secundum quod est in potentia; ex sufficiente rei actualitate procedit quod accidens in se complete producat, et per oppositum ex insufficiente actualitate, et consequenter potentialitate ex qua omnis sufficientia est, provenit quod res habet accidens in se secundum aptitudinem tantum, et quod ab illo expectet actualitatem, seu quod accidens separabile sit secundum actualitatem, quod idem est.

Amplius cum esse et bonum actualitatem sequantur, et non esse et malum potentiam, ex actualitate rei provenire necesse est esse accidens perfectum et inseparabile secundum actum et aptitudinem; et per oppositum ex rei potentialitate procedere oportet incompletionem accidentis, separabilitatem ejus secundum actum; est enim separabilitas ipsa quoddam non esse, cum nihil aliud sit, quam negatio necessariae sequela sui esse completi ad esse subjecti. Intellige autem hic ut supra, scilicet quod ex actualitate subjecti aptitudo est, ex potentialitate autem separabilitas accidentis secundum suam actualitatem.

Advertendum vero est, quod S. Thomas passiones etiam dicit aptitudinem non collocavit simpliciter inter accidentia ex essentialibus principiis fluentia, sed potius ipsarum passionum et aptitudinum actus quos secundum incompletum esse aptitudines vocavit. Fecit autem hoc: quia aptitudo de se non habet rationem alienius per se producti seu producibilis; nullum enim naturale producat intendit aptitudinem, sed aptum illius; non est namque opus risibilitate, nisi ut rideatur, unde et risibilitas inchoatio quaedam risus est: propterea igitur inter effectus essentialium principiorum aptitudo non est simpliciter posita, sed actus quia non ipsa, sed ejus actus est qui a principiis productivis intenditur: et quia aptitudo nihil aliud est quam inchoatio quaedam, inchoatio autem est actus imperfectus, ideo accidentia secundum actum incompletum aptitudines vocantur.

Antequam terminemus tractatum de diversitate accidentium, quaeritur an omne accidens habet aliquod subjectum proprium, aut aliqua accidentia sint ita communia, quod nulli propria.

Est autem ratio dubitandi: quia si omne accidens est proprium alicui, cum proprium conveniat omni, soli, et semper, nullum accidens erit separabile ab eo in quo est. Inesset enim soli et semper proprio subjecto.

Amplius, sequeretur, semper, corruptionem cujuscumque accidentis comitem fieri corruptioni substantiae, sicut corruptio risibilis corrumpitur homo. Patet consequentia, quia corruptio proprio, necesse est corrupti illud cuius est proprium, aliter non conveniret ei semper; haec autem experiri esse falsa, ut patet in accidentibus communibus et actibus secundis.

Ex opposito autem, cum omne accidens sit diffinibile, et in diffinitione cadat subjectum, de quo accidens per se praedicatur, ut patet I Poster., et II Metaph., oportet quod omne accidens habeat proprium et per se subjectum, per se namque supponit de omni semper et necessario.

Ad hujus dubitationis evidenciam sciendum est, quod cum apud S. Thomam in questione de virtut., quaest. 1, art. 3, subjectum habeat

triplicem habitudinem ad proprium accidens, scilicet sustentantis ad sustentatum, potentiae ad actum, et principii ad principiatum: sicut calor ignis non habet esse, nisi sustentetur in igne, et est forma accidentalitatis ejus, et oritur ex ipso: secundum quod participat istas conditiones, potest dici accidentis subjectum, et secundum quod ab istis habitudinibus recedit, potest negari accidentis subjectum. Unde propter defectum prima, qua principiorum est, dicitur in I Poster., quod nullum accidens est subjective in alio accidente; quia videlicet nullum accidens potest sustentare aliud, sed sola substantia, qua est ens per se, aliis fulcimentum praebet essendi. Quia autem aliquid unum accidens potest comparari ad aliud, ut potentia ad actum, et quandoque ut proximum principium ad principiatum, et ideo conceditur etiam unum accidens esse subjectum alterius, quemadmodum superficies dicitur subjectum coloris, quia est in potentia respectu coloris, et dulcedo esse in calido et humido, quia causatur ex calido et humido.

Potest ergo quadruplicem intellectum habere dubitatio mota. Primo potest intelligi, ut quaeratur, an omne accidens habeat proprium subjectum ut sustentativum; secundo, an habeat proprium subjectum ut potentiam; tertio an habeat proprium subjectum ut principium; quarto, an habeat proprium subjectum ut sustentativum potentiam, et principium simul.

Si questio sit secundum primum sensum, respondetur negative: quod scilicet omne accidens habet proprium subjectum in ratione sustentantis, ut probant rationes primo inductae; multa enim sunt accidentia, quae nullum proprium sustentans sibi vendicant, sed communiiter multis insunt, ut eorum separatio ostendit; separantur namque a substantia sustentante ea naturaliter remanente, quod de propriis accidentibus dici non potest. Eadem quippe substantia absque sui mutatione contraria sustentat, ut dicitur in Praedicamentis.

Si autem juxta secundum sensum dubitetur, respondetur affirmative: quod scilicet omne accidens habet proprium subjectum in ratione propriae potentiae, eo quod quilibet actus respicit propriam potentiam: sicut enim actus respicit potentiam, sic talis actus talem potentiam, et actus specificus potentiam specifice; accidens autem omne actus quidem est: igitur omne accidens habet propriam potentiam, cujus est actus propter quod, III Phys., tex. comm. x, dicitur: Potentia ad infirmitatem est alia potentia ad sanitatem, eo quod sanitas est aliud ab infirmitate, et XII Metaph., longo processu, probatur principia Praedicamentorum esse eadem proportionabiliter, quia cuilibet actui propria respondet potentia.

Si autem tertio sensu inquiratur, respondetur negative: quod scilicet non omne accidens habeat aliquod subjectum proprium in ratione principii proprii, eo quod habere subjectum proprium in ratione principii includit fluxum illius accidentis a tali subjecto in genere causa efficientis, eo modo, quo duorum effectuum ordinem inter sese habentium prius est causa effectiva ejus, quod necessario primi productionem sequitur, sive illud subjectum sit receptivum accidentis, ut quo, sive ut quod: patet quod non omne accidens fuit a suo receptivo effective, sed multa sunt respectu quorum receptivum pure passive se habet, ut patet cum species rei sensibilis recipitur in medio, sive in sensu.

Si autem quarto modo intelligatur questio, patet quid dicendum sit; negative enim respondere oportet.

Sed advertendum est quod hæc, quæ diximus, intelligi debent de accidentibus, scilicet seorsum acceptis actibus, et seorsum aptitudinibus: loquendo namque de accidentibus, ut S. Thomas in littera loquitur, scilicet non iudicando actualitates accidentium seorsum ab aptitudinibus: dicerem quod omne accidens secundum suam radicalem aptitudinem habet aliquod subjectum proprium in ratione sustentantis potentie et principii, licet non secundum suam actualitatem eo quod aptitudo ad tale accidens non est nisi a tali gradu substantiali fluat mediate vel immediate, et consequenter nisi in tali gradu subjective sustentetur immediate vel mediate. Verbi gratia, lumen secundum suam actualitatem et substantiam, licet sit ab extrinseco, et sit accidens separabile, tamen secundum suam inchoationem seu radicalem aptitudinem, puta diaphaneitatem, est inseparabile, et fluit a certo gradu substantiali communi superioribus et inferioribus. Et similiter sedere licet sit accidens, per accidens tamen secundum suam aptitudinem est proprium: et non natum convenire nisi certo enti, puta animali tali, etc.; fluit enim aptitudo ad sedendum ex suis principiiis. Similiter et videre licet sit accidens separabile, radicalis tamen aptitudo ad videndum separari a tali animali non potest.

Ex his patet quomodo ad utramque partem rationes adductæ verum concludunt diversimode. Nam loquendo de accidentibus secundum suas essentias et actualitates, conclusio rationum primo adductarum conceditur, accipiendo subjectum in ratione sustentantis et principii.

In ratione autem potentie falsa est conclusio, ut dictam est. Nec probatio contra hunc applicatam sensum valet: eo quod cum dicitur, quod proprium convenit soli, omni et semper, intelligitur de ipso proprio non secundum suam actualitatem, sed secundum aptitudinem. Et similiter cum dicitur quod ad corruptionem proprii desinit subjectum, intelligitur, si corruptur secundum aptitudinem: non autem, secundum actum, universaliter loquendo. Vel dicatur quod inseparabilitas, et huiusmodi non convenit accidenti, ut respicit subjectum in ratione propriae potentie, sed ut sustentativum et principium. Loquendo autem de accidentibus secundum suas aptitudines, patet quomodo rationes peccant. Dico enim quod nullum accidens est separabile secundum aptitudinem radicalem saltem, sed cœvum subjecto necessario: et quod corrupto accidente secundum talem aptitudinem potest subjectum corrumpi. Ratio autem in oppositum adducta concludit, quod omne accidens habet subjectum, de quo per se prædicatur secundum se, vel secundum suam aptitudinem. Cum enim ejus sit actus, ejus est potentia (ut dicitur in Somno et vigilia) idem subjectum erit quod cadit in definitionem accidentis, secundum aptitudinem et secundum actum: sicut homo debet poni non solum in definitione risibilis, sed risus. Stant ergo ista duo simul, quod accidens secundum suam actualitatem non habeat proprium subjectum, cui universaliter soli et semper insit: et tamen habeat proprium subjectum per quod definiri debeat: quia ad hoc secundum sufficit, quod secundum suam aptitudinem per se de illo subjecto prædicatur. Ad primum vero sufficit accidens secundum se tantum non prædicari per se de subjecto.

Sciendum est autem, quod in accidentibus in alio modo sumuntur genus, differentia et species, quam in substantiis: quia enim in substantiis ex materia et forma substantiali fit per se

unum, una quadam natura ex eorum conjunctione resultante, quæ proprie in prædicamento substantiæ collocatur: ideo in substantiis nomina concreta, quæ compositum significant, proprie in genere esse dicuntur, sicut genera vel species, ut homo vel animal: non autem forma vel materia est in prædicamento hoc modo, nisi per reductionem: sicut principia in genere principiatorum esse dicuntur. Sed ex accidente et subjecto non fit unum per se: unde non resultat ex eorum conjunctione aliqua natura, cui intentio generis vel speciei possit attribui: unde nomina accidentium concretive dicta non ponuntur in Prædicamento: sicut species vel genera ut album vel musicum, nisi per reductionem, sed solum secundum quod abstracta significantur, ut albedo et musica.

In hac tertia parte capituli hujus determinatur, quomodo accidentia se habeant ad intentiones logicas: et primo, quomodo se habent ad esse in prædicamento: deinde unde sumantur in eis genus et differentia. Quoad primum ponit duas conclusiones, scilicet: Accidentia in concreto non sunt proprie in prædicamento. Et accidentia in abstracto proprie sunt in prædicamento.

Ad quarum evidentiam sciendum est, quod accidentia habent unum modum essendi, scilicet esse in alio, non enim sunt nisi insit alicui. Habent autem duos modos intelligendi, eo quod intellectus est natus ea, quæ sunt adunata in re, dividere. Intelligunt enim quandoque cointelligendo sibi subjectum, cui insunt, et intelliguntur per modum accidentis: eo quod accidentis esse est in alio esse. Quandoque vero intelliguntur solitarie, non cointelligendo, scilicet eis subjectum, cui secundum rem insunt: et tunc intelliguntur per modum substantiæ: eo quod esse per se, id est solitarie soli substantiæ convenit: accidentia enim semper comite egent. Cum autem modus significandi non fundetur super modo essendi, sed intelligendi, sicut habent duos modos significandi. Unde significantur quandoque consignificando subjectum, et tunc significantur per modum accidentis, et vocantur significata in concreto, ut album, nigrum, etc. Quandoque vero significantur ipsa sola, absque scilicet subjecti consignificatione: et tunc significantur per modum substantiæ, et vocantur significata in abstracto, ut albedo et nigredo. Abstractum enim et concretum in accidentibus, licet differant in modo significandi, id est penes consignificare subjectum, et non consignificare illud: conveniunt tamen in significacione ipsius forme accidentalis. Album enim puram qualitatem significat (sicut in Prædicamento dicitur) sicut et albedo: sed album significat albedinem in subjecto: albedo autem significat albedinem absque illo. Quia igitur accidentia in concreto totum conjunctum important puta sicut album albedinem in subjecto: conjunctum autem hoc non est unum per se, sed unum et ens per accidens: id autem quod in prædicamento reponitur, debet importare unum et ens per se, cum prædicamenta dividant ens per se, V Metaph. text. comm. xiv, ideo accidentia in concreto non proprie reponuntur in prædicamento. Et hæc est ratio, qua in littera, prima conclusio probatur: quæ sic formari potest: Nullum nomen important ens et unum per accidens, est proprie in prædicamento: concretum accidentale importat unum et ens per accidens: ergo nomen concretum accidentale non